

I. N. 7.

882

DISSERTATIO INAUGURALIS, 1708, 2.
DE

ILLEGITIMIS
CIRCA LEGITIMAM
GRAVAMINIBUS,

22

Quam

Auspice Legislatore Summo TRIUNO DEO,

Decreto & Authoritate

Magnifici, Nobilissimi, Am-

plissimi, in Inclyta Argentoratensium

Academia

JURISCONSULTORUM
ORDINIS

PRO

Summis in Utroque Jure Ho-

noribus & Privilegiis Doctoralibus

ritè impetrandis

SOLENNI Eruditorum Examini submittit

SAMUEL FAUST, Argent.

Ad diem 2. Martij Anno MDCCVIII.

ARGENTORATI,

Ex Calcographiâ JOHANNIS PASTORII.

V I R O
MAGNIFICO, AMPLISSIMO
atque CONSULTISSIMO,
DN. JOH. JACOBO
FRIDIO,
REGIÆ ARGENTORATENSIS REIPUBL.
CONSILIARIO ET ADVOCATO GRAVISSIMO,
DE REPUBLICA OPTIME MERITO,
PATRONO SUO MAXIMO,

ut &

DN. JOH. PHILIPPO
BOECLERO,
COM. PAL. CÆS. ÆRARIJ PUBLICI
ET REI MONETARIÆ PRÆFECTO
MERITISSIMO,
FIDELISSIMO,

*Avunculo Suo ad vitæ dies devenerando
atque colendo,*

Dissertationem hanc Inauguralem

In grati animi *tenue* *tor,*
Suique ulteriorem commendationem,
devotâ

quâ par est animi submissione

D. D. D.

SAMUEL FAUST, Argent.



JEHOVA JUVA!

Prooemium.

Rētissimum Societatis in-

ter Parentes & liberos intercedere vinculum, ex quo variæ & reciproca obligationes & mutua officia ad familiæ utilitatem & publicam honestatem definitæ oriuntur, nulla gens tam barbara est, quin agnoscat: Fluunt autem illa partim ex naturali, partim ex civili jure: prioris generis obligationes, non tantum humanis cordibus impressæ, sed omnibus viventibus à prudentissimo Creatore per modum instinctus naturalis stupendo plane modo, sub diverso tamen effectu, implantatæ sunt, *optima quippe magistra natura est cunctis animantibus, non tantum ad sui, sed & ad prolis sue conservationem, ut cognata hac charitate continua successio ad aternitatis circulum perveniat Diod. Sicul.* Unde hoc etiam referri potest ad eas, quæ Grotius l. i. c. 2. §. i, de j. B. & P. *in op̄ta tñs quosq̄s, prima natura, vocat, quod simul atque natum est animal, ipsum sibi conciliatur, & commendatur ad se conservandum & ea, quæ ab ipso proveniunt, atque ad Statum suum, & ad ea, que conservantia sunt ejus Status, diligenda, alienatur autem ab interitu, isque rebus qua interitum videantur asferre.* Obligationum harum fundamentum ex parte Parentum in educanda sobole consistit, cujus educationis duæ sunt partes, prima alimentatione, intuitu corporis absolvitur, altera doctrinam, intuitu animi, respicit, ut sum-

A

mis

mis eò allaborent viribus, quo liberi humanæ Societatis utilia evadant membra. Perfidi hinc plane hominumque consortio indigni sunt Parentes illi, qui affectus innati adeo sunt immemores, ut misericordiæ alienæ partem exponant, quam ipsam tamen non habent *l. 4. §. de agnosc. Et alend. lib.* à quo abominando scelere & à sensu humano alieno Novell. 153. præbruta rationis usu carentia solo instinctu naturali impulsâ abhorrent, enormitatemque transgressionis, hujus farinæ hominibus, foetui suo tam anxie prospiciendo, ac sæpe cum jactura vitæ eundem defendendo, ob oculos quasi ponunt. Debet autem Parentum ordinata cura tanta esse, ut post fata illorum, suum quoque exlerat effectum, imprimis in illis, qui sibi ipsis nondum providere queunt, quibus tantum ex bonis relinquendum, quo eo facilius aliorum ope adjuti ad adultam pervenire possint ætatem, ad quam provisionem Legitimam quoque spectat, quæ considerata in se, facit portionem Naturali Jure debitam, cui Leges Romanæ formam certam attribuerunt eamque limitibus qualitate & quantitate circumscriptis muniverunt, ne præposteris Parentum votis, gravaminibus adscriptis, eadem liberi vel graventur vel defraudentur, cujus rei specimina, nimirum gravamina Legitimæ adjecta illicitè, pro colloquio Academico paucis hic exponere animus est.

§. I.

Ultimarum voluntatum quantus favor sit, quibus mortales imperium suum prorogant, & cogitationum reliquias relinquunt, prudentia Legislatorum Romanorum, quæ tantis eisdem roboravit fulcris, passim docet, inter illa, Legitima, quæ etiam Falcidiæ nomine in *l. 31. C. de inoff. test.* vel quartæ, in *l. 29. §. 1. C. eod.* vel portionis debitæ in *l. 8. §. 8. & §. 11. de inoff. test.* legitur, Germ. der *Willscheitheil* conspicua est, constituens portionem portionis ab intestato debitæ certis personis, ne testamentum, ut inofficium rescindatur *l. 8. §. 8. π. l. c.* à testatore necessario ita relinquendam, ut ille, cui relinquitur, simul instituatur hæres. In
cujus

cujus indaganda origine, magni nominis Jcti admodum solliciti sunt, nonnulli eorum Juri Civili eandem adscribunt, inter quos præ aliis Perez. ad tit. C. de inoff. test. satis probabiliter differit, dicens: *Legitima juris naturalis non est, quamvis debeatur propter naturalem causam; quod si enim juris naturalis esset, filius, licet impius & ingratus, quæ naturæ essent, non posset amittere, amittit autem, cum rectè exheredatur, accedit his exemplum militis, qui per leges solutus solemnibus juris civilis non tenetur liberis legitimam relinquere, quod testamentum validum scribat liberis scienter præteritis, quibus non est quærela l. 9. l. 24. C. de inoff. test. quod certe jus civile permittere non potuisset, si legitima foret juris Naturæ, à cuius præscripto non liberat lex humana. Et ut concludam, mihi contraria dicere videntur interpretes illi, qui dicunt jura naturalia, quibus adscribunt legitimam, esse immutabilia, & faterentur tamen minui atque augeri posse. Rectius itaque discernent, juris esse civilis, ideoque & mutari minuique potest, ita ut jure alio civili tolli, & funditus eradicari, si modo insit ratio naturalis, qua illud fulciatur.* Cujus juris singulare exemplum Illustris Stryckius in usu Pand. mod. p. 482. de Ducatu Schuidnicensi & Javorensi in Silesia affert, ubi Parentum arbitrio relictum est, an liberis velint legitimam relinquere, annon. Alij vicissim non minori numero DD. ejusdem incunabula Juri Naturæ adscribunt, duplicem allegantes fontem & auctoritatem, ex jure civili l. 7. r. de bon. damn. & l. 7. §. 1. r. unde liberi; ex Jure Canonico cap. 1. de testam. in 6to. Circa quas Jctorum dissentientium opiniones, salva cujusque auctoritate, separandam esse arbitror considerationem Legitimæ materialem, quatenus absolutè & abstractivè, à formali, & quatenus in concreto subjecto applicanda venit. Materialiter considerata, quatenus alimenta & curam pro educandis liberis complectitur, non male connato & humanis cordibus inscripto adscribitur juri, cum ex ipso facto generationis obligati sint Parentes ad liberos suos alendos, quamdiu se ipsos alere nequeunt; nam, qui causa est, ut homo existat, is quantum in se est, & quantum necesse est, prospicere ei debet

de his, que ad vitam humanam, id est naturalem ac socialem, nam ad eam natus est homo, sunt necessaria. Grot. 2. 7. 4. Liberi namque sunt, quibuscum vivi nostra partimur; Cicero in Verrin. hinc in l. 7. π. de bon. damnat. Parentum hæreditas debitum ex æquitate naturali promanans, & in l. 11. π. de Lib. & posth. liberi rerum paternarum quodammodo domini dicuntur, quibus à Deo & Ecclesia nihil magis debetur quam paterna hæreditas, arg. cap. quicumque 43. c. 17. q. 4. & secundum Apostoli effectum ad Galat. 4. v. 7. filius est, ergo hæres. Eadem vero formaliter considerata, quatenus determinatam à jure continet quantitatem & qualitatem, in civili jure fundatur, omnisque mutationis in tantum non expers Nov. 115.

§. II.

Neque vero de Legitima in universum agere animus est, sed speciatim de illicitis Legitimæ adjectis modis, qui, ut facilius appareant, pauca prius de personis, quibus eadem debetur, observanda sunt. Debetur autem primo loco ob vinculum naturale liberis, pro quibus naturæ simul & Parentum commune militat votum l. 7. §. ult. si tab. test. null. ext. quorum & in successione ab intestato primarius favor est, nullo habito respectu sexus, cum neque masculus ipse in se, neque femina solum ad nativitaris propagationem sufficiens sit, sed sicut utrumque eorum coaptavit Deus ad generationis opus, ita etiam nos eandem utrisque servamus æqualitatem Nov. 18. c. 4. licet aliunde bona, quibus se sustentare possint; habeant, DD. in l. sancimus C. de nupr. sub quorum nomine cum posthumi tempore legitimo in lucem editi contineantur, iisdem legitima eodem reliquenda erit titulo §. 1. j. de exhered. lib. pro quibus eadem, imò quandoque major militat ratio; favore etiam matrimonij liberis illegitime antea natis, per subsequens vero matrimonium legitimatis, cum legitime natis exæquentur l. 10. in f. C. de nat. lib. Nov. 89. c. 3. legitima debetur, quod jus & legitimatis per rescriptum Principis competit, cum ejusdem gratia jus libetorum legitimorum iis indulgeat. Nov. cit. secus autem si liberi legitimi jam exierint, quo



quo casu cum Illustri Stryckio de caut. testam. c. 17. m. 1. §. 6. distinguo, an Princeps legitimarius ad instantiam Parentis, ubi in libello supplici mentio legitimorum liberorum facta est vel non, priori casu valet legitimatio ex plenitudine potestatis Principis, si clausula adjecta non obstante, Princeps enim non aufert jus questum, sed restringit tantum, posteriori casu rescriptum Principis censetur sub § obreptitium, cum in alterius præjudicium privilegium concedere non præsumatur l. 4. C. de emancip. liber. Nepotibus quoque repræsentationis jure Nov. 18. c. 4. idem jus competit, nam & sub nomine filiorum nepotes veniunt, quoties in materia versamur favorabili l. liberor. §. 4. n. de F. S. Naturales mater legitima honorare tenetur §. 3. 7. ad Sc. Orphit. à patris vero sunt exclusi, succedunt tamen, si uxorem non habeat, aut liberos legitimos, una cum matre concubina in duas uncias, alias tantum alimenta capiunt auth. licet. C. de nat. lib. Spurij verò, cum, quem Patrem habeant, incertum sit, nec patrem habere intelligantur l. 23. n. de Stat. hom. Patri planè non succedunt, sed matri eodem modo, quo naturales, cujus limitatio habetur in l. pen. C. de Sc. Orphit. & præteriti possunt querelam inofficiosi instituere. Propter civile vinculum debetur liberis plenè adoptatis & arrogatis, cum hi in potestatem arrogantis transeant verique filijfamilias sint §. 11. 7. de adopt. & sui vocentur §. 2. 7. de her. que ab intest. Pari pietatis affectu Ascendentibus legitima relinquenda, quæ & ipsa materialiter considerata facit partem jure naturali debitam, cum & Parentibus debeantur alimenta, (hinc Solon eos notari jussit infamia, qui hoc non facerent,) quod vulgari proverbio ἀντιμεταπέριον dicitur, justum etiam est, ut Parentes qui liberos magnis sumptibus & curis educarunt, in compensationem beneficij, è bonis liberorum aliquid percipiant; accidit enim sæpe, ut turbato mortalitatis ordine l. 9. §. 1. n. de reb. dub. liberi Parentum mortem anticipent, qui deinde propter senilem ætatem alimentis quandoque destituuntur, unde in l. 15. n. de inoff. test. dicitur, quod eodem modo Pie relinquatur legitima Parentibus, venientibus ad successionem luctuosam,

A 3

l. ult.

l. ult. C. de instit. & substit. tanquam ad lucrum triste, l. fin. C. commun. de success. & durae fortunae solatium l. 4. in fine C. ad SCr. Tertull. confer. Nov. 1. in Praefat. §. 2. & cap. si pater 1. in fin. de testam. in 6to. Nov. 18. c. 3. Tanta autem cum non sit obligatio inter fratres & sorores sive collaterales in primo gradu ac illa Parentum & liberorum est, proinde Legitima non semper iis debetur, sed tum demum, si scriptus haeres laboret infamia, aut levis notae macula *l. 27. C. de inoff. test.*

§. III.

Ne vero Parentes falso instimulati & novercalibus delinimentis instigationibusve corrupti, maligne circa sanguinem suum inferentes iudicium liberos suos vel exhaeredit vel praeferant, *l. 3. & 4. n. de inoff. test.* & sic officium pietatis atque *propter* naturalis violent, justissimum se Legislatorem Justinianus exhibuit, dum non tantum sancivit, ut praeter causas exhaereditationis in *Nov. 115. c. 3.* expositas, aut virtualiter comprehensas, (cujus elegans praedictum Facult. Juridicae Lipsiens. affert *Finckelth. O. 99. n. 22.*) nemini liceat, sive suos liberos, sive Parentes, & certo casu fratres, Legitima destdaudare, sed etiam ut gravare eandem nulli testaturo sit permissum, adeo, ut si conditionibus quibusdam vel dilationibus, aut aliqua dispositione moram vel modum, vel aliud gravamen introducente, eorum jura, qui ad memoratam actionem vocabantur, imminuta esse videantur, ipsa conditio vel dilatio moram vel quodcumque onus introducens tollatur, & ita res procedat quasi nihil eorum testamento additum esset, *l. 32. C. de inoff. test. l. 30. eod.* Ex quo palmario textu DD. hanc struunt regulam: *omne gravamen & omnis conditio & dilatio de legitima rejicitur.* quae ampliarur, etsi statutis legitima in favorem liberorum sit aucta, quod nec in ea parte, qua excedit quantitatem juris civilis, gravari possit. Ad favorem Legitimae multum etiam facit titulus, quo vel potius cum quo relinqui debet, honorabili scilicet institutionis titulo, ne liberi dicantur gravati: notandum vero statim in limine est, di.

divortium *Digestorum & Codicis & Novellarum*, de veteri jure qualiscunque sufficiens erat l. 8. §. 6. *π. de inoff. test.* §. 3. & f. g. *cod.* de novo vero cum institutionis, ut reliquis honorabiliori, titulo, l. 5. §. 6. *π. de Leg. prest.* relinquenda, *Nov. 115. c. 3. Carpzov. p. 3. c. 9.* tanquam fortiori & pinguiori l. 5. §. 6. *π. de leg. prest.* cum institutio in uno nummo facta plus operetur, quam Legatum mille marcarum auri *Suthold. diff. 9. aph. 11.* propter jus accrescendi, vigore cujus, si reliqui hæredes hæreditatem vel repudiant, vel ante testatorem eo incscio moriuntur, tunc totam hæreditatem liberi instituti capiunt, cum de jure Romano nemo pro parte testatus, pro parte intestatus possit decedere §. 5. *f. de her. inst.* ab initio & ex intentione testatoris, nam ex post facto potest fieri, ut interdum ex parte testamentum valeat, ex parte non: ratio est, quia injuriosum & inhumanum videtur liberos non esse Parentum hæredes l. 5. §. 6. *in fin. de Leg. prest. Nov. 115. c. 5.* Hic relinquendi modus etiam in Parentum legitima requiritur *arg. Novell. cit. & aub. novissima C. de inoff. test.* sufficit autem modo aliquid hæredis titulo relictum, licet non sit tota legitima, & quod deest actione suppletoria petitur *per l. 30. C. de inoff. test.* In fratrum legitima non requiritur, sed qualiscunque titulus sufficit, §. f. *7. eod. arg. N. 115. c. 5.* quia Leges novæ correctoria ultra casus expressos extendenda non sunt *arg. l. 32. C. de appell.*

§. IV.

Post consideratas, quibus Legitima debetur, personas, quantitas ejus notanda venit, quæ pro diversitate temporum varia invenitur: de veteri jure & ante Justiniano indifferenter quarta portionis ab intestato erat §. f. *1. de inoff. test. l. 8. §. 6. π. eod.* de Jure vero Justiniano Novellarum juxta communes versiculos pro personarum numero vel triens vel semis est.

*Quatuor aut infra dant natis jura trientem,
Semissem vero dant natis quinque vel ultra;
Arbitrium sequitur substantia cætera Patris.*

Par

Par augmentum & in Parentum legitima deprehenditur, *Carpz.* p. 3. c. 12. d. 11. n. 3. cum Imperator in genere in *Nov.* 18. c. 1. legitimam auctam voluerit illis, qui ea non relicta querelam inofficiosi instituere possunt, hoc autem jam ante Novellam Parentibus competeat *l. 15. π. de inoff. testam.* ita statuunt *Grassus §. legitima q. 9. Brunnem. ad auth. novissima C. de inoff. test. Berlich. p. 3. concl. 12. n. 42. Philippi usu Inst. Pract. l. 2. Ecl. 72.* Ex eodem fundamento & fratrum legitima aucta est, cum & ipsi in certo casu querela inofficiosi competat, *l. 27. C. eod. vid. Illustris Stryck. l. all. 17. 123. Fachinans l. 4. Controv. 28. Berlich. p. 3. conclus. 12. n. 51.*

§. V.

Conditionum appositarum cum ea sit natura, ut actum suspendant in certum eventum *l. 213. π. de V. S.* adeo ut pro imperfecto pendente conditione habeatur, *Menoch. cons. 88. n. 9.* facile hinc patet ex supra dictis, easdem legitimæ apponi haud posse, siue sint possibiles, potestativæ, casuales aut mixtæ, vel impossibiles, lege aut natura *l. 32. C. de inoff. test.* nisi filij favorem respiciant, ut si mater filios in sacris patetnis constitutos vult hæredes instituere, sed timer, ne Pater, ad quem pertinet ususfructus eorum quæ filiis acquiruntur, bona ea dissipet, ita instituit hæredes sub conditione, si Pater eos emancpaverit, *l. 25. C. de inoff. test. Carpzov. p. 3. c. 9. d. 11.* cum hic de injuria facta conqueri non possint, ne autem Pater in fraudem voluntatis ultimæ sinistra moliat, liberis per *l. 50. π. ad Scf. Trebell.* succurritur. Maxima ex his dubitandi ratio exurgit circa conditionem potestativam, annon scil. simplex potestativa possit legitimæ apponi? affirmat id *Struv. Ex. ad π. 33. §. 47. Brussel. de condit. testam. 3. 5. 18.* si scil. conditio facile impleri possit, *vid. Franzk. comm. ad l. galus disp. 5. m. 1. sect. 3. n. 43. Et seqq.* Sed rectius forte hoc negatur, quia alias deficiente conditione adjecta non posset dici hæres institutus, quousque enim hæredis institutio est necessitatis, eousque jure novo nulla, ne minima quidem adjici potest conditio, cum in legitima siue potius cum legitimi-

legitima necessario hodie liberi & Parentes sint instituendi vel ex justa causa exhæredandi *Nov. 115. c. 3. § 4.* Accedit, quod per generalem textum *l. 32. C. de inoff. test.* nullum gravamen legitimæ adjici possit; si autem prius conditio esset adimplenda (quod procedit, etiamsi conditio talis sit, quæ facili negotio impleri potest) adhuc impediret transmissionem, etenim si ante impletam conditionem hæres in legitima sub conditione institutus decederet, eandem ad hæredes non transmitteret, *conf. Brunnem. ad l. 4. π. de hered. instit. n. 3. Manz. de testam. tit. 12. q. 44. n. 19.* Multo minus Legitima gravari potest adjecta conditione casuali, quæ ex alieno arbitrio vel ex solo eventu, fortuna, vel casu dependet, *l. 60. π. de condit. § dem.* aut mixta, cujus impletio partim à voluntate & arbitrio ejus in quem confertur, partim à casu dependet *l. 4. de instit. § substit.* Sub conditione natura vel lege sive moraliter impossibili, cum per elegantissimum J.Cti Papiniani in *l. 15. π. de cond. instit. monitum, ea facta que laudunt pietatem honestatem verecundiam, & in genere contra bonos mores sunt, ne quidem facere nos posse credendum sit,* si sub tali conditione inquam Lege impossibili relinquatur legitima, ipsa institutio vitiatur nec tantum pro non adjecta habetur per *l. cit. Struv. Jurisp. For. l. 2. tit. 18. in fin.* quamvis alias impossibilis conditio de jure in ultimis voluntatibus pro non adjecta habeatur, *l. 3. π. de cond. § dem.*

§. VI.

Cum Legitimæ instituitur computatio, ad quantitatem hæreditatis, quæ tempore mortis fuit, respiciendum est, *l. 6. C. de inoff. test.* proinde statim illicitus gravandi legitimam modus patet, si hæreditas post Patris testamentum augeatur, & certam summam, quæ pro statu præsentis legitimam adæquat, institutionis titulo filio relinquat, prohibeat verò, si bona augeantur, ne quid amplius loco legitimæ percipiat. Ab ipsa bonorum substantia deducendum est æs alienum in specie ita dictum, *l. 8. §. 9. π. de inoff. testam.* ratio, quia legitima debetur ex bonis, bona autem non intelliguntur nisi

B

de-

deducto ære alieno *l. 39. de S. V.* etiam illo quod ipsi hæredi à testatore debebatur *l. si debitor 12. ad Leg. Falcid. l. 6. C. eod.* Quò pertinet quæstio illa præliminaris, an Legitima sit hæreditatis an bonorum pars? seu, utrum Legitima sit pars hæreditatis formaliter ita dictæ, sive universi juris successorij, adeoq; & ipsa Jus universale, de commodis & incommodis pro rata per omnia participans: an vero tantum portio non juris, sed rerum hæreditariarum seu bonorum, h. e. bonorum tantum non onerum? quam cum Illustri *Schiltero* affirmamus, (contra *Lauterb. in coll. præct. l. 5. t. 2. §. 45.* qui pro rata creditoribus hæreditariis in legitima institutum hæredem respondere teneri putat) adductis rationibus, quia est titulus acquirendi quidem universalis, sed determinatus à lege, qui locum proinde habet deducto ære alieno, & funeris impensâ *l. 8. §. 9. π. de inoff. test.* Secundo quia jus successionis hæreditariæ & legitimæ sunt diversa, ut ex *l. 2. §. 1. π. famil. recisc.* radiat, ubi *Ulpianus*, ad quem quarta defertur, neque bonorum possessorem neque hæredem esse asserit; tum quod etiam is legitimam habere potest, qui non fit hæres, sed exhæredatus fuit, *l. c. 8. §. 13. π. de inoff. test. Novell. 115. c. 3.* hancque sententiam propugnant *Gail. 2. observ. 20. n. 2. C. 131. n. 12. Card. Tusch. t. 5. l. 8. n. 30. Berlich. part. 3. conclus. 11. n. 3. Mant. de conject. ult. volunt. l. 7. c. 8. n. 5. Chass. in consuet. Burgund. tit. des successions*: Dicit tamen etiam potest pars hæreditatis, eo scilicet sensu, quia hæres nominatus est, unde eidem datur remedium *l. f. C. de edicto D. Hadr. toll. vid. Rebhan. in Hodegor. Jur. p. 240. n. 48. Job. à Sande in decis. l. 4. tit. 9.* Plenius ex *Barrolo* distingui potest, an Legitima consideretur ratione rei seu materiæ, an respectu eorum, quæ extrinseca sunt: ratione rei seu materiæ, bonorum portio est, adeo, ut filius in ea hæres institutus pro illa ipsa parte oneribus hæreditariis non implicetur ut hæres, sed loco legatarij aut creditoris habeatur, respectu vero eorum, quæ extrinseca sunt, & extrinsecus veniunt, hæreditatis portio dici potest, ut ita legitimam accipiens censetur hæres, v. g. quoad titulum institutionis, jus accrescendi, hæreditatis petitionem, alios-

aliosque effectus, quos *Bartolus* & *Jafon* recensent, hinc ab ipso *Bartolo* mixta dicitur, & quasi tertia species partim jure hæreditatis partim bonorum jure censenda.

§. VII.

In ipsam deductionem æris alieni Legata relicta non veniunt, quia non sunt debitum in specie tale, ad illa siquidem non necessarid adstrictus fuit defunctus, *Alv. p. 3. deo. 381.* ut idcirco legitimã aut gravanda aus minuenda sit, licet sint legata ad pias causas, *Surd. de aliment. t. 8. 95. 6.* quorum maximus est in utroque jure favor, æquiparantur quippe miserabilibus personis in illis magis æquitas & jus poli quam rigor juris civilis inspicitur, *c. 10. 11. 15. de testam. Bart. in l. habet C. de SS. Eccles.* ideo *Baldus ad l. 3. C. de testam.* ait: quod nullus casus de mero rigore juris evenire possit, qui executionem relicti ad pias causas impediatur, & majorem sæpe favorem esse piæ causæ quam liberorum tradit *Pantschm. q. 2. art. 6. n. 20.* Hæc omnia verò ita sunt capienda, si legis autoritas accesserit, alias secus, ita si quis pietatis intuitu Ecclesiæ vel *Xenodochio* donationem ultra 500. solidos in quibuscunque rebus fecerit, non aliter valebit, nisi actis insinuata sit, nulli quippe danda licentia quacunque alia causa quasi pietatis jure subnixa introducenda veterum seita super intemendis donationibus permutare. *l. 9. C. de SS. Eccles.* Adde, quod in favorem piæ causæ nihil præter expressi juris rationem statuere debeamus, præsertim ad damnum & jacturam aliorum, *arg. c. suam. 9. de pœn.* Licet itaque favor piæ causæ sit magnus, attamen ad præjudicium tertij non extendendus *vid. l. 38. §. 2. de aur. & arg. leg.* cum ita sit favendum, ne aliis fiat injustitia. *Besold. 3. conf. 94. n. 7. l. illud 19. versu, nulli danda licentia C. de SS. Eccles.* foret autem magna, si liberorum legitima ut naturale debitum minueretur ob debitum voluntarium, quod naturale omnis oneris expertus est *l. 32. C. inoff. test.*

§. VIII.

Major dubitandi ratio exurgit in eo casu, si pater juris imperitus proprietatem quidem bonorum attribuat liberis, usumfructum vero omnium matri aut aliis extraneis constituat, an tunc gravata censeatur legitima? Fieri id posse in testamento Patris matri relinquens usumfructum bonorum, filiae proprietatem assignantis, clarus JCTi docet textus in *l. 37. n. de usu & usufr. leg.* cui cum multis DD. calculum præbet *Bartholus. Capolla*, eandem sententiam confirmare videtur *l. 8. C. de excus. tut.* qua habetur casus, ubi Pater omnium bonorum usumfructum matri reliquit, & qui bonorum suorum usumfructum legat, non solum eorum, quæ in specie sunt, sed & substantiæ omnis usumfructum legare videtur *l. 34. §. 2. n. de usufr.* verumtamen cum legitima ab omni onere, libera relinquenda sit, *Novell. 18. c. 3. & anth. noviss. C. de inoff. test.* maximum autem onus sit, si usufructus personæ extraneæ relinquatur, (uti præter alia videre ex hoc est, quod sit servitus, ne nunc huc traham elegantia *Balduini p. 548.* verba, qui hinc accidere posse ait: *ut dum usufructus est penes uxorem, liberi cum nuda proprietate misere esuriant*) hinc statuo usumfructum omnium bonorum non posse relinqui matri aut aliis extraneis. Neque enim uti Magistratui per statutum, ita & Patri per testamentum aliamve ultimam dispositionem, liberorum legitimam minuere aut gravare licet, sed liberam eam habere debent filij & sine aliquo onere *l. 29. C. de inoff. test. Carpzov. Jurisp. For. p. 3. c. 12. d. 7.* Allegati supra textus de bonis ultra legitimam relictis intelligendi sunt, quod probat *l. 29. n. de usufr. & quem: quis ut. fruatur.* qua omnium bonorum usumfructus salva dodrantis æstimatione relictus legitur, quæ quantitas de jure novo per *alleg. anth. C. de inoff. test.* pro liberorum numero, ut supra jamdictum, vel trientem vel semissem constituit, etiam si liberis universa proprietas sit relicta, & uxori defuncti usufructus, ut scilicet ea ratione liberi ha-

habeant, unde se alere possint, nisi adjectum fuerit, ut mater omnibus bonis unà cum filiis fruatur, l. 8. n. de usufr. accresc. cujus voluntatis formula apud Cicconem in orat. pro Cecinna extat, conf. Grass. l. 5. sent. q. 38. n. 23.

§. IX.

Intuitu fideicommissorum, quæ non minimum continent onus, filius in hæreditate tota institutus, sed universali fideicommissio gravatus, potest retinere legitimam, & de illa libere disponere l. 32. l. 36. §. 1. C. de inoff. test. testari, legare, pro arbitrio suo transferre atque transmittere, vide Schultz. in Synops. Inst. tit. de inoff. test. qui in Scabinatu Lipsiensi sapius ita responsum fuisse testatur, Coler. decis. 16. n. 11. inf. in specie enim provisum, ne in legitima fideicommissum constituitur, prout docet Jafon, in l. fin. §. sed quia, ad SCr. Trebell. Grassus lib. 5. sent. q. 18. Knipschild. de fideicommiss. fam. illustr. c. 5. n. 120. Ex his novus Legitimam gravandi illicitus exurgit modus, impediens transitionem Legitimæ certis in casibus ad hæredes ab intestato ad successionem venientes; Quod secus nonnullis videtur, si fideicommissum sit reciprocum inter liberos, per l. si pater 12. C. de inoff. test. qua casus est de Patre, qui habens filium, filiam, & uxorem, filio relinquit sex uncias, seu semissem, filia quatuor, uxori duas, & liberos sibi mutuo per fideicommissum substituit, & approbatur illud, nec ob onus fideicommissi in Legitima datur querela, ita quoque visum Card. Tusch. Concl. pract. 498. Perezio ad tit. C. de inoff. testam. aliisque: sed nec hoc modo legitimam relinqui posse recte statuitur, & hanc l. 12. C. de inoff. testam. per l. 32. C. eod. aliasque correctam esse, cum Illustri Stryckio l. c. §. 17. stipato magno JCtorum numero asserimus.

§. X.

Quod substitutionem attinet, præcipua quæstio erit de matre, an illa per substitutionem pupillarem à successione filij impuberis etiam quoad legitimam excludi possit? qui as-

B 3

firmant

p 008

firmant J Cti ut *Carpzov. 3. §. 1. Eckold. p. 729. Hopp. in comment. ad Inst. p. 440.* aliique plures, his præcipue nituntur rationibus, (1.) quia non filio sed Patri succeditur, per *l. 3. §. 5. τ. de inoff. test.* (2.) quia mater nullum adhuc jus habuit, cum filius bona actu nondum possederit, (3.) allegant pro confirmanda sententia *l. 9. C. de impub. & aliis substit.* ubi substitutio pupillaris matrem ab omnibus bonis excludit, *l. f. C. de instit. & substit.* ubi exceptio est, quæ firmat regulam in casibus non exceptis: denique quia quasi pupillaris excludit matrem, quæ tamen ad exemplum hujus introducta est. Verum res salva est, adhibita distinctione inter Jus Romanum Vetus & Recentius, conceditur posse excludi de Jure Pandectarum, non vero de jure Codicis, quo licentia testandi restricta, odium querelæ minorum, & favor legitimæ auctus, huc facit *l. f. C. de Instit. & Substit.* qua mater in substitutione tacita non excluditur, sed substitutus profus non admittitur, quod autem juris est in tacito, idem juris regulariter est in expreso, & *Novell. 115. c. 4.* per quam testamentum, in quo personæ, quibus legitima debetur, non ritè institutæ, penitus nullum est, quicquid autem juris est in institutione, idem est in substitutione, cum sit hæredis secundi institutio, hancque sententiam approbant, *Schil. exerc. ad τ. 14. §. 32. Stryck. l. c. p. 467. Menoch. lib. 4. præsumpt. 39. Bocerus 3. diffi. 5. Harprecht. 1. pr. de pup. substit.*

§. XI.

Majoris momenti quæstio hic se offert, uti nobilissima ita intricatissima, & ut verbis *Stryckij* utar, ita compartaa ut si *authoritatibus pugnandum esset, nescirem quanam opinio prævalere debeat*, num scil. liberi fideicommissio universali gravati quartam Trebellianicam & Legitimam simul deducere possint? sunt J Ctorum plures, qui duplicem detractationem juri civili congruam autumant, alij de eodem negant, de Jure vero Canonico & Praxi hodierna affirmant; alij neque simpliciter affirmant, neque simpliciter negant, sed sub distinctione fideicommissi purè & sub conditione relicti respondent,



dēt, quorum singulæ sententiæ pro instituti ratione , mihi hic subjecturo meam deinceps qualemcunque sententiam, ex-aminandæ sunt. Poterunt vero, quod jam innuere cœpi, ad tres referri classes; Primam constituunt illi DD. qui de Jure Civili Trebellianicam & Legitimam simul detrahi posse affirmant, ut *Fachinans, Corasim, Peregrinus*, alijque, hoc imprimis nixi fundamento, quod sint diversa jura, & ex diverso principio ambo debeantur, legitima, ut portio jure naturæ, Trebellianica, ex Scto Trebelliano debita, hinc conveniens esse, ut illi qui duplicem sustinent personam, duplici etiam gaudeant jure, quod utrumque in eorum favorem introductum.

§. XII.

Secundæ classi annumerandi sunt ij, qui de jure civili, quæstionem negant, ejusdem vero decisionem affirmativam ex Jure Canonico & Praxi hodierna adstruunt, ut *Schilter, Stryck, Cujac. A. Faber, Gudelinus, Strauch, Hahn, Eckold, Gail*, alijque, quorum fundamenta majus habere pondus ex sequentibus clarescet (1.) quia in hoc casu Legitimæ Trebellianica impütatur *l. 91. ¶. ad Leg. Falc.* (2.) quia liberum cuilibet dodrantem pro arbitrio erogare, *l. 1. ¶. cod.* (3.) confirmant id expressi textus *l. 6. C. ad Sct. Trebell.* quo dodrans à filio restituitur Trebellianica deducta, eaque ipsa Legitima, *l. 8. §. 9. & 15. ¶. de inoff. testam.* quibus in locis cavetur, ne filius moveat querelam inofficiosi, qui Falcidiam adeptus est. *l. 24. C. fam. ercis.* qua retenta semel quarta omne reddere filius compellitur, quod & Justinianus *Nov. 39. c. 1.* repetit, qua vult, ut filius semel portionem deducat, eam vero non quartam ex Falcidiæ veteri quantitate, sed legitimam ab eo pro numero liberorum auctam. Possit vero de jure Canonico & Praxi hodierna utramque detrahi, aperti docent textus, primus est, in *C. Raynaldus 16. X. de restam.* quo habetur ratio juris novissimi, quum quilibet extraneus restitutione gravatus eam deducere possit, hancque sententiam Innocentius auctoritate sua & confirmatione in *c. Raynaldus 18. cod.*



18. *cod.* corroboravit, meretur quippe favor liberorum, ut non sint deterioris conditionis, quam extranei; accedit, quod hæredum favor major sit, quam fideicommissorum, utpote quæ regulariter odiola esse tradit *Mantica l. 7. de conject. ult. volunt. Klock, t. 3. conf. 102. n. 155.* eo magis autem debent deducere Trebellianicam, quia legitimam tanquam æs alienum deducunt.

§. XIII.

Tertiam classem constituunt, qui neque simpliciter affirmant, neque simpliciter negant, sed media incedentes via distinguunt, inter fideicommissum purum & sub conditione vel die relictum, qui in diversas rursus abeunt vias, priores hoc juri Romano attribuant, de eodemque affirmant; posteriores praxi adscribunt: pro prioris sententiæ fautoribus antesignanum se sistit *Accursus ad Nov. 1. c. 1. §. verb. auferris. §. l. 8. §. 14. π. de inoff. test.* putans, si hæres fiduciarius sit sub conditione vel die rogatus restituere hæreditatem, cum statim posse retinere legitimam, adveniente die vel existente conditione detrahere Trebellianicam, per *l. 6. C. ad Sc. Trebell.* non posse vero deducere Trebellianicam, si pure restituere rogatus sit; sed huic oppono *Baldum ad l. 8. cit. §. meminisse* qui putat, pure rogatum plus hoc modo gravari quam sub conditione rogatum, id vero esse contra ipsam juris civilis rationem, *l. 8. §. 11. π. de inoff. test.* recte proinde in *Accursum* invehit *A. Faber dec. XI. err. 7. annon,* inquit, *favorabilior est filius qui pure, quam qui in diem & sub conditione hæreditatem restituere jussus est? is siquidem nullum ex hæreditate restituendi commodum sentit, quam quod ex conditione sperare potest: cum tamen is qui in diem aut sub conditione hæreditatem restituere rogatus est mediæ temporis fructus lucretur,* confer. *Schilter. exerc. ad π 36. §. 17. 21. & seq.* qui pro more suo erudite differit.

§. XVI.

Inter hæc differentes sententias, ea mihi arridet, quam de-

defendunt modo laudatus *Schilt. Stryck.* & recentiores ferè omnes supra jam allegati, quæ statuit, filium fideicommissi universalis gravatum, & Trebellianicam & Legitimam simul deducere non posse de jure Romano, sive sit fideicommissum purum, sive sub conditione vel die relictum; posse autem de jure Canonico, quod æquitati naturali hac in parte propius accedit, & de Praxi hodierna, distinguendo tamen inter fideicommissum purè & sub conditione relictum (puta si sine liberis moreretur, quæ conditio in fideicommissis est frequentissima) si purum est, potest Legitimam filii tantum detrahere, si conditionatum & Legitimam & Trebellianicam, quam praxin usu frequentari & pro Evangelio teneri putat *Gail. 2. obs. 121. n. 1. 2. & seg. Rittershus. ad Novell. p. 6. c. 4. & Eckold. ad Scit. Trebell. §. 20.* qui monet distinctionem hanc (licet ex falso juris intellectu & Commentatorum errore originem trahat) quod solidè demonstrat *Schilt. l. c.* usum tamen obtinere, & in foro quoque civili observari *vid. Carpzov. 3. 1. 21.* & in tantum nunc recepta *Faber in Cod. Sabaud. l. 6. tit. 27. def. 4.* pronunciat, ut ridiculum esset de illa praxi dubitare, cujus etiam præjudicia ex jure Argentinensi apponere non incongruum visum.

SENTENTIA

Ausß der Stadt Straßburg Cammer. Gerichts.
Memorial de Anno 1664.

In Sachen Wolff N. und Consorten Appellanten eines/
wider Michel N. Appellaten andern Theils / ist hiemit der
fernere Bescheid/ daß zu desto besserer des eigentlichen quanti
fideicommissi restituendi Erfuchung nicht allein die Legiti-
ma, sondern auch die Trebellianica von den Fideicommiss-
Gütern zuvorderst abgezogen/ und so dann die endliche Ab-
rechnung und Aufweisung zwischen beyden Partheyen vor-
genommen werden soll. Publ. 10. Nov. Anno 1664.

C

Ausß



Auß C. C. Grossen Rathes der Stadt Straßburg

Memorial de Anno 1670.

Zwischen weyland Maria N. geböhrner N. seel. ange-
 gebenen Fideicommiss-Erben/ ist auff Besichtigung letztge-
 dachter N. producire Testaments mit Urtheil zu recht Er-
 kandt/ daß nach Beschaffenheit deren sich dabey zugetrage-
 nen Todtsfälle/ die vorhandene Fideicommiss-Erbbschafft/ nach
 Abzug der gewöhnlichen Legitima & Trebellianica, so des
 verstorbenen Johann Adam N. sel. Mutter gebühret/ in
 zwey gleiche Theil/ deren der eine weyland Hans Georg N.
 sel. noch lebenden Söhnen/ der ander aber/ Georg Sigmund
 N. zuzuschreiben abgetheilt werden soll. Publ. Renunciat. feris
 den 11. Julij Anno quo supra.

Tertium Præjudicium in causa Appella-

tionis beyrn Kleinen Rath 23. Aug. 1648. int
 Pöbl. Cammer. Gericht/ von den Herren XIII.

3. Decembr. 1657. Verba Sententiæ hæc sunt:

Ist durch Richtern voriger instanz wohl geurtheilt/ und
 übel davon appelliret/ und soll demnach Appellant Einwen-
 dens ohngehindert/ ane Susanne N. Kindsheil/ ihres Vatters
 Georg N. Verlassenschaft frey und vollkommenlich einbehalten/
 das übrig aber/ so sie nur usufructuarie zugewiesen gehabt/
 hingegen ihren jungen Geschwisteren letzter Ehe/ vermög
 Väterlichen Testaments eigenthümlich zuständig gewesen/
 selbigen ohne Abzug der präterdirten Trebellianica zusamt
 denen von Zeit gedachter Susanna N. Ableiben/ eingezoge-
 ner Nutzbarkeiten/ und in dieser instanz auffgeloffene Un-
 kosten/ wiederum abzutragen/ und zu restituiren schuldig
 seyn.

Quid autem juris in illis obtineat locis, in quibus disti-
 ctionis hujus receptio doceri nequit, num juri Canonico, quod
 hic civili merito præferendum, standum sit, an consuetudini
 multis in locis receptæ approbanti eandem, sapientiori me
 judici determinandum relinquo; hoc tantum subjungens,
 quod

quod sententiæ æquitati naturali convenientiori, nisi contrarium lege possit probari, tutissimum sit inhærere. Quæ dicta obtinent, etiamsi Legitima pro numero liberorum sit semis, *Baldo licet refragante, lib. 2. conf. 94. conf. Schilt. l. c. §. 30. sive sermo sit de liberorum, sive Parentum Legitima, Barrolus in l. quanquam 10. C. ad Leg. Falcid.. hancque sententiam ut communem opinionem defendit Covarruvias in c. Raynutius §. 11. n. 6.*

§. XV.

Illicitus porro relinquendi Legitimam modus ratione qualitatis est, si relinquatur in nominibus, cum nec mora seu dilatione gravari possit *l. 30. l. 32. C. de inoff. test.* Ratio est, tum quia plerumque longo circuitu opus est, prius quam à morosis debitoribus extorqueantur, tum quamvis ab initio exigibilia sint, ex post facto tamen superveniente fatali aliquo casu possint fieri non exigibilia, & sic consequenter Legitima minueretur. Facit quidem Legitima partem bonorum testatoris, quibus per *l. 49. τ. F. S.* nomina annumerantur, verum cum semper onus aliquod eis insit, restringenda erit portio legitimæ ad illa bona, quæ ab omni imunia sunt onere *arg. l. 32. C. de inoff. testam. confer. supra §. 6. aliter sentiunt Struv. ad Antonij Matthæi tractatum de success. Vasqu. de success. progress. §. 4. n. 10. Charond. in memorab. verb. legitima.*

§. XVI.

Fieri quandoque solet, ut novis Legibus introductis, nova fraus excogitetur; inter exempla referri possunt immodicæ & inofficiosa donationes, instructæ plerumque ad intervertendam inofficiosi testamenti querelam, quibus personæ per indirectum in legitimam læduntur, ut, si Pater præter officium pietatis, bona per immodicas donationes dissipet, *v. t. t. C. de inoff. donat. ex quibus postmodum liberi legitimam salvam habere nequeant, l. 87. §. 3. ult. τ. de Leg. 2.* Ut vero donatio inofficiosa dici possit, ratione quantitatis requiritur, ut sit immensæ & immoderatæ liberalitatis effusio *l. 4. C. l. c.*

C 2

& co

& eo ipso, quo fit, tempore modum excedat. Si enim donatio ab initio talis non exitit, nec donator ab initio modum excefferit, licet ex post facto fiat, ut liberi vel parentes debitum bonorum subsidium non consequantur, donatio tamen ut inofficiosa non revocatur, v. g. si quis habens tres liberos, & in bonis 200. uni 100. donaret, postea vero casu aliquo reliqua 100. amitteret, etsi liberi legitimæ nomine nihil habeant, priorem tamen illam donationem ab initio neque re neque consilio inofficiosam, sed legitimam & perfectam revocare nequeunt, *arg. l. 25. C. de adm. tut. & glossa in l. 1. verb. ex duabus uncis C. de 1. inoff. donat. Donell. lib. 19.* Ratione porro temporis, in æstimanda inofficiosa donatione duplex attendendum est tempus donationis nimirum, quo consignentur bona illa, quæ donator habuit tempore donationis, & mortis, cum ante id non possit videri læsio facta *arg. l. ult. C. h. t. i. e.* requiritur ut liberi orientem & semissem quantitatis bonorum, quæ fuit ante donationem, mortis tempore non habeant salvum & integrum, post donationem enim quantita possunt aliquando sufficere ad legitimam statuendam *N. 92. Perez. l. 78.* aut liberi ante Patrem decedere: sic v. g. Titius qui possidet tempore donationis 1200. millia florenorum 5. habens liberos, donat alicui extraneo 700. millia, post tempus mortis supersunt tantum 500. millia, hic cum legitima liberorum portio sit 600. millia, 500. vero saltem supersunt, donatio erit inofficiosa, cum legitima per eandem sit læsa. Nec interest sive donatio facta sit extraneo sive non. *l. 1. §. 8. 9. C. eod.* sive testatus sive intestatus decefferit, *l. 3. eod.* Non tamen in totum, sed in tantum rescinditur, in quantum opus est ad supplendam legitimam *l. 2. 7. eod.* nisi quod solet distingui, *vid. Gail. l. 2. obs. 116. n. 4.* an donatio facta extraneo ante liberos natos, cum non sit verisimile alienas successiones suis quem anteponeere velle, *l. cum acutissimi 30. C. de fideio.* & nemo verisimiliter donat extraneo in perpetuum, qui de liberis suscipiendis non cogitavit *l. 6. §. 1. C. de instir. l. 102. inf. π. de cond. & dem.* & tunc agitur ad totam rescindendam donationem; an vero in unum ex liberis colla-

collata sit, & tunc tantum pro parte seu quoad legitimam rescinditur. *Sichard. n. 4. Covarruv. l. 1. Resol. 19. n. 12. & quos allegat Hillig. in don. c. 11. li. k. fundamentum est in l. 5. & 8. h. t. de inoff. don. collata cum l. 87. §. 3. n. de Legat. 2. & l. 8. C. de revoc. donat. vid. gloss. ibid. Rationem reddidit Gothofredus ad l. 5. C. eod. quia quod licet Patri per testamentum, hoc etiam licet per contractum, testamento autem plus Legitima relinquere non cogitur.*

§. XVII.

Quod si plures sint particulares donationes, cum consummato Jcto *Srruv. in exerc. ad n. 40. §. 14.* distinguo, an sint simul eodem tempore factæ, atque uti simul minuunt Legitimam ita & omnes pro rata revocandæ, an vero distinctis temporibus, ita ut prioribus donationibus nihil decedat Legitimæ, & tunc posterior seu posteriores solum, quatenus minuunt Legitimam, revocantur, *Joes. ad n. de donat. n. 79. Donellus lib. 19. c. 11. Sichard. ad l. 1. C. h. t. n. 9. & 11.* Facit autem ad decidendum prius *l. 20. de collat.* qua indistincte constituitur de donatariis omnibus, ut omnia, quæ in quartam portionem ab intestato successionis computantur, omnimodo coheredibus suis conferant; & *Nov. 92.* qua necessitas imponitur donatariis singulis, omnibus modis complere fratribus reliquis Legitimam *conf. auth. Unde & si parens C. de inoff. test.* Rationem hujus juris ex *l. c. suppeditat Schilt.* depromptam ex ipsa Novella alleg. in verb. *habent scil. reliqui liberi donationibus non honorati in omni substantia patris quod legitimum est, i. e. obligatio ad legitimam præstandam afficit totam substantiam Patris per donationes dispersam, unde jus petendi competit contra singulos donatarios pro rata: posterioris decisio, ea est, quia donatio semel plenè & perfectè facta non fuit inofficiosa, & ex eadem donatario jus quaesitum, Bart. in l. 1. C. de inoff. don. Baldus eod. n. 8. Casirensis n. 6. arg. l. 25. C. de administr. int. illustris hujus quaestionis casus Parisiis per duos annos agitati meminit Schilt. exerc. ad n. 39. addit. 2.*

§. XVIII

§. XVIII.

Simili modo obtinet certo modo in dote, quæ & ipsa de veteri J. Romano inter donationes connumerata. *l. f. de donat. ante nupt.* priusquam vinculum juris civiliter cogens accederet, ex constitutione *Severi & Antonini*, referente *Martiano in l. 19. de R. N.* quamvis autem absolute non sit donatio, si tamen immodica sit, quatenus talis, semper est donatio *Brunn. in C. ad l. cit.* ut si Pater immodicam in unam filiarum conferat dotem, lædendo legitimam cæterorum liberorum, tunc detrahendum est tandundem, quantum ad Legitimam consequendam opus est *l. cum omnia C. de inoff. dote.*

§. XIX.

Possent adhuc afferri alij illiciti modi, quibus aliquando Legitima gravari solet, ut, si Pater sub prætextu fraudulento æris alieni, in Legitima fraudaturus liberos, falso confiteatur, se mutuo accepisse magnam pecuniæ summam contra *l. 8. §. quarta. de inoff. test.* Item, si divisionem iniquam inter liberos constituat, *l. 8. pr. C. de inoff. test. l. qua pater 32. l. ex parte 39. ꝛ. famil. ercisc. l. quoties 10. l. si cogitatione 21. C. eod.* Aut si inspecta bonorum suorum taxatione quicquam disponat, quo tamen casu haud efficiet, quin liberis salva maneat Legitima. *Berlich. conclus. 13. n. 16. Carpz. 3. 12. 9.* Ac proinde ut verba *Philippi in usu Inst. Pract. lib. 2. Ecl. 71. §. 5.* habent: *Si per taxationem in Legitima vera quantitate adipiscenda læsi fuerint, per implorationem officio judicis impetrare possunt, ut bona paterna, de novo per Scabinos, Commissarios aliasve personas taxentur, sibi que debitum Legitima supplementum ex illis assignetur, Card. Tusch. t. 4. pract. concl. 53. n. 62. Berlich. concl. 13. n. 25. Carpzov. l. c. Richter. decis. 40. n. 19.* Nec cogendi sunt liberi in Legitima sequi judicium testatoris, si malint sequi judicium legis. Possent & ex materia feudali plura hic afferri, verum temporis & instituti ratio, jubent ut abrumpatur disserendi filum, & imponatur huic Dissertationi

FINIS.

UNI DEO SEMPITERNA GLORIA.

Strapleus, Diss., 1704-08


ULB Halle

3

005 359 848







I. N. 7. 882
DISSERTATIO INAUGURALIS, 1708, 2.
DE 22
ILLEGITIMIS
CIRCA LEGITIMAM
GRAVAMINIBUS,

Quam
Auspice Legislatore Summo TRIUNO DEO,
Decreto & Autoritate
Magnifici, Nobilissimi, Am-
plissimi, in Inclyta Argentoratensium
Academia

JURISCONSULTORUM
ORDINIS

PRO
Summis in Utroque Jure Ho-
noribus & Privilegiis Doctoralibus
rite impetrandis

SOLENNI Eruditorum Examine submittit
SAMUEL FAUST, Argent.
Ad diem 2. Martij Anno MDCCVIII.

ARGENTORATI,
Ex Calcographiâ JOHANNIS PASTORII.

